



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

AD LECTOREM.

Miraberis forsan, Amice Lector, quòd THEOLOGIAM SCHOLASTICAM juxta D. Thomæ Doctoris Angelici illibatam doctrinam in publicam lucem emittere præsumam, dum in litteratorum manibus versantur doctissimi Commentarii insignium Thomistarum, qui in hac doctrina Angelici sui Præceptoris meditati sunt die ac nocte, eidem à juventute plurimis annis innutriti. Ut enim quàm plures alios præteream, quid solidius Commentariis Joannis à S. Thoma? quid exactius, quàm Disputationes Godoy? quid clarius, quàm doctrina Gonetti? quid eruditius, quàm Speculationes Contentioni? Quibus è Benedictina Familia jure accenseas Anselmianam Theologiam Eminentiss. Cardin. d'Aguirre omni doctrinæ & eruditionis genere reteritissimam, & profundissimos Tomos Illustriss. Redingii nostri, quondam in S. Theologia Professoris Salisburgensis Clarissimi. Istis gravissimorum doctorum Scriptis aliam rursus Theologiam adjicere, quid est, nisi Danubio aquas affundere?

Ut hoc te scrupulo, meque simul ambitionis suspicione liberem, scias velim, hunc laborem à me susceptum suasionem amicorum, persuasionem Superiorum, quibus è plurimum præcipue discentium commodo fore videbatur, si doctrinam per quindecim annos Discipulorum auribus in publicis prælectionibus instillatam, & per plures compendiosos Tractatus ab iisdem Discipulis in arena Theologica propugnatos magnâ ex parte editam, in integrum Opus SCHOLASTICÆ THEOLOGICÆ digererem, ac publici juris facerem: cum è Thomisticis Doctoribus aliqui nimis parca manu materias practicas dispensent; aliqui nimia vel amplitudine, vel profunditate, vel comparandi difficultate discentes absterreant: insuper plerique moderni Thomistæ Angelicam Doctrinam variis in locis modalibus entitatibus respargant, quas tamen entium minutias, ceu Aristoteli, ac D. Thomæ incognitas, & non tam naturæ, quàm luxuriantium ingeniorum superfluum partum & perpetuato hæcenus more nostra Salisburgensis tum Philosophia, tum Theologia repudiat.

Ignorantque modos genus à præsepibus arceat;

Ideoque complures subtilitates absque modorum adminiculo, modernis Thomistis ut plurimum usurpato, in nostra Theologia Salisburgensi enodamus, quàm viam modumque, sine modis Thomisticam doctrinam tradendi & exponendi, ostendere, opera pretium fuerit.

Ipsi quoque Antecessores, qui in enucleandis S. Theologiæ mysteriis utilem operam posuerunt, non tam obstruxerunt, quàm aperuerunt viam, & vestigia reliquerunt succedentibus, ut & ipsi in eruendis cœlestis sapientiæ thesauris impigre defudarent: *Infinitus* quippe *thesaurus est hominibus*, Sap. 7. cujus eruendi & elucidandi nullus potest esse terminus: est *puteus altus*, Joan. 4. è quo quantumcunque haurias, nunquam ad fundum pervenies: imò, *cum consummaverit homo, tunc incipit*, Eccl. 18. Ideoque D. Leo serm. 9. de Nativ. *Nemo ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit, in rebus divinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse, quod querat.*

Nostræ doctrinæ Principes sunt Clarissima Catholicæ Ecclesiæ Lumina, Augustinus, & Thomas. Augustinus: inquam, de quo Volusianus ep. 2. *Cum ad Augustinum Antiquitatem pervenitur, legi deest, quicquid Augustinus ignorat, cujus os D. Paulinus ep. 42. sibilam aquæ vivæ, & venam fontis æterni appellat, de quo D. Prosper l. de ingratis. c. 3.*

istius ore

*Flumina librorum mundum effluxere per omnem;
Quæ mites humilesq. bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.*

Tho.

Thomas, inquam, quem Pius V. *certissimam Christianæ doctrinæ regulam* appellat: cujus doctrinam *singulari ordine, mirâ perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscriptam*, Clemens VIII. affirmat. Cujus Summæ tantus honor delatus est à PP. Concilii Tridentini, ut eandem penès S. Scripturæ Codicem super altare collocarent. Hos sequor duces, quos nostra S. Facultas Theologica ex primævo Universitatis Juvaviensis instituto sequendos elegit. Nostri quoque D. Anselmi præclaram doctrinam ubicunque invenio, exosculor, & amplector. Cumque nullus dubitem, medullam & consequentiam doctrinæ Angelicæ illis profundissimis Doctoribus penitus esse perspectam, qui in illa penetranda, & Angelici sui Præceptoris mente eruenda plurimis annis studium operosissimè posuerunt; quam ab hisce in Schola D. Thomæ versatissimis Magistris, sicut & à meis quondam Colendisimis Professoribus doctrinam hausi, tanquam Thomisticam, & laticem ab illo Angelico fonte derivatum, Tibi, Benevole Lector, propino. Sicubi, ut fit sæpenumero, de mente & sensu Doctoris Angelici, inter ipsosmet Interpretes illius est disceptatio, mihi censendi jus assero.

Porro cum legis in fronte Operis inscriptionem *Theologiæ Scholasticæ*, noliti existimes, eandem meris speculationibus circumscribi. Aquè in practicas materias diffunditur, & licet non in omnibus, in permultis tamen Moralibus Theologiæ quæstionibus discutiendis, iis potissimum, quæ ad conscientiæ regimen, & sacrum Pœnitentiæ tribunal deserviunt, occupatur: ubi neque nimium rigorem, neque nimiam benignitatem amplector, obsecutus antiquo monito:

— mediò tutissimus ibis.

Admiscui, ubi locus erat, illustriores S. Fidei controversias, in quibus polemicè deducendis liberiores stylo cursum permisit. In cæteris brevitati, quantum necessaria doctrinæ claritas patiebatur, studui; magis discendum, quam docendum commodo intentus, quibus raro vacat, ingentes tomos evolvere, & nimis proluxâ commentationum mole oculos ac ingenia fatigare. Quæ eadem de causa utor methodo in plures titulos ac divisiones concisa, ut cibum in minutiores partes & membra dissectum Lectori porrigam, minori deinceps molestia masti-candum. Dictionem invenies planam & humilem; neque enim è prudentiæ regulis esse censui, simplicem veritatem vestire pomposis verborum phaleris, & Theologicas subtilitates sublimiori stylo reddere obscuriores. Indignum quoque videretur Majestatem Theologiæ doctrinæ, ut ubi divina sonant oracula, ubi Paulus prædicat, Augustinus perorat, Thomas disputat, mimicis phrasibus ludat Roscius, nugetur Terentius.

Metuis fortè in hoc meo Volumine aculeatos criticismos, aut satyricas invectives? Pone metum: hæreticos errores subinde acrius infector; in cæteris ita mihi inter Conscriptos Theologiæ Patres dicendi jus vendico, ut illud aliis neutiquam abrogare contendam. *Sufficit mihi* [ut cum Hieronymo loquar ep. 18.] Scio, critica censendi acrimonia rationis aciem potius obtundi, quam acui, & satyricis contentionibus regiam veritatis viam non complanari, sed asperari. Præit exemplo D. Thomas, non solum ex scriptiois claritate, sed etiam modestia Doctor Angelicus, ex utroque Cæsar.

Habes, Lector Benevolæ, meæ scriptiois propositum, formam, methodum. Uttere, frueri, & sicubi in aliquod mendum [quæ præter opinionem crebriora irrepsere] incideris, benignè ignoscere, & meæ potissimum absentia imputare velis, qui imperfectos amanuentium characteres internoscere, explicare, emendare potuissim, si correctione typi interesse licuisset. Si quid verò sapidum, gratumque delibaveris, divinam celebra sapientiam, Beatissimum Numen & Lumen nostratum mentium, cujus honori & gloriæ, tuæque utilitati hæc omnia sacra esse volui.